

cam &c. Atque hic finit Codex multarum rerum cognitu dignarum ferax, et Viri Acta commendans, qui, si Academiam *Lipsiensem*, *Halensem*, *Göttinganam* &c. olim ornasset, jam dudum pactus fuisset folertem Βιωγραφον. Sed enim quot ejusmodi Virorum memoriam cum in his Commentariis, tum in *Hist. mea Typogr. Vien.* revocare conatus sum!

## DCCCCXXXIX.

U.119 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 264. 4. non una manu perscriptus et olim Testamento additus *Collegio Beate marie virginis domus rubee rose apud fratres predicatores in Wyenna a M. Andrea de Weytra arcium ac sacre pagine Professore, ad sanctum Stephanum canonico, patre ac superintendente collegij prefati* sequentia complectitur: I. Συλλογὴν pertinentem ad Visitationem Dioecesis *Passav.* quam occasione Legationis ad *Bobemos* et *Moravos* e Concilio *Basil.* agente *Alberto* Archid. a. 1435. instituere *Philibertus* Ep. *Constant.* Legationis caput, et *Leonardus a Layming* Antistes *Passav.* cui nimis parum in hoc negotio tribui video ab *Hansitio T. I. Germ. sacrae.* p. 525. Habes vero in Codice: 1) *Dicenda per cursorem in vocando communitates et sacerdotes.* Vocabantur etiam duo vel tres *Laici.* 2) *Puncta a delegatis Visitationibus praevis proponenda, et pro finali conclusione dicenda Clericis.* 3) *Bullam Leonardi* Ep.

qua Visitationem ab altera parte *danubij infra Anasum* delegat *Pau. lo de wyenna decretorum doctori et Andree de weytra baccal. in theologia formato* subscriptam *Wyenne Sexta die Mensis Junij Anno D. 1350.* 4) *Formulam secundum quam visitatio instaurata est.* Dedit eam *Leonardus Dominica, qua in dei ecclesia canitur Misericordia domini* (II. post Pascha) *In sua ciuitate Patuuiensi* Synodum celebrans. Multa in ea adcurata, opportuna, etiam curiosa de Clericorum, quibus rubeus et viridis color prohibetur, vestitu, ubi *Colleria, Joppulae, Pannus cendatus* (*Zendel* - five *Sendeltaft*) &c. 5) *Formulam visitandi M. Johannis de Gersona.* Habetur illa *Opp. omn. Edit. dictae Antverp. T. II. P. 4. col. 558.* 6) interjectis quibusdam *Asceticis* excerptis, ut praefertur, ex *Libro pergameneo* pertinente ad *Dreschirchen* sequuntur *Officia Rectoris Ecclesie parochialis, Vicariorum, Clericorum simul habitantium, Praedicatorum, Confessorum* &c. quae Sec. XV. *Disciplinam ecclesiasticam* illustrant. 7) *Interrogatoria* visitandorum primum Clericorum, dein *Laiorum*, ubi inter alia: *An portent sacramentum eukaristie ad bladum (Segetes)? An dicant ibi 4. ewangelia versus 4. angulos mundi?* ubi additur: *Nullum istorum debent facere ad vitandam supersticionem* &c.

II. fol. 25. p. 2. *Decreta quaedam Basileensia: 1) Sessionis I. de Celebratione Conciliorum.* 2)

Con-

Contra Simoniam, sed manus coaeva superscripsit: *Quod sequitur, non est determinatum.* Intentum tamen videtur, antequam Patres penitus cum *Eugenio* committerentur; dicitur enim inter alia: *Ideo propensius eadem sancta Synodus ipsum summum pontificem ammonet &c.* Sunt Articuli XII. bonae frugis; verum in *Actis* Concilii non reperi. 3) Contra Clericorum Concubinatum. Iterum superscriptum: *Hoc quod sequitur de concubinato non est sic decretum, sed in fine inuenietur verum decretum.* Reapse fol. 68. p. 2. 4) De Annatis cum reliquis ejusd. *Sessionis XXI.* 1435. 5) Interjiciuntur duae Decisiones *Caspari de Mayselstein* Legum D. et *Henrici de Hassia* Theologi circa Contractum quendam locationis interrogante *M. Petro de Pulka.* 6) *Reformatio in Concilio basiliensi pro suppositis ejusdem.* Ut in *Actis* edit. *Labb. Venet. T. XVII. col. 582.* 7) *Instructiones circa exequendas indulgentias in facto graecorum;* seu potius totum negotium corrogationis pecuniae pro solvendis *graecorum* ad Concilium unionis causa invitatorum viaticis, quo fine patres contribuentibus noxarum veniam offerunt. Imprimis igitur de Executoribus per Provincias deligendis, de eorum modo agendi, de Promotore generali, quibus subscriptum: *Letta sunt presencia capitula in natione germanica die sabbati vicesima prima aprilis Anno &c. 36<sup>to</sup>.* Dein Formula concessionis ipsarum Indulgentiarum pro Provin-

cia *Salzeburgensi* unacum Formula absolutionis, mox ipsa *Bulla Indulgentiarum* prout extat in *Actis T. supracit. col. 340.* demum Bulla gemina *Leonbardi Ep. Passav.* data *Viennae* mense *Martio* Anno &c. *Tricesimo septimo,* quibus Executorum earum in sua Dioecesi constituit et commendat *M. Johannem Himel* Theol. Prof.

III. fol. 49. *Carta de nouo conclusa in certis punctis tertie visitationis circa sanctam Dorotheam proxime facta.* Visitarunt hanc Canoniam ab *Leonbardo Ep. Passav.* constituti *Georius prepositus Monasterij newnburgen.* ejusd. Ord. *S. Aug. et M. Petrus de Pirchenwart* Theol. Prof. et plebanus in *Dreskirichen,* ut testantur *Wienne* vicesima secunda die Mens. Junij Anno domini *M. CCCC. XXXV.* Inter alia adprobant etiam balneorum usum nudum semel in mense cum disciplina et custodito pudore; item volunt, ut Praepositus ad consilium quatuor seniorum distinguere respiciat habitaciones, quas haecenus fundator occupauit, adaptandas deinceps pro libraria, aut hospitibus honestis colligendis. Fundatorem intelligo *Albertum Plank* Institutorem primum, tum Cancellarium *Alberti II.* Imp. et curionem *Garstensem.*

IV. fol. 51. Formulae supplices ad Pontificem pro facultate eligendi Confessarium, qui absolvere possit etiam in Casibus reservatis, Censuris &c. una cum Formulis ipsius Absolutionis. Petitores sunt Theologi *Vienn. M. Nicolaus de Dünkelspubl,* et *M. Nar-*

*Narcissus Herz* alias *de Perching*. quorum prior petit etiam pro *fratribus, sororibus, cognatis et amicis usque ad numerum personarum* 24.

V. fol. 53. Palinodia F. *Wolfhardi* O. M. pro concione cantanda, cujus argumentum liquet ex ipso ingressu: *Liebew kinder Als ich pruder wolfhart am nachsten an dem heijligen ostertag gepredigt hab wye ein achter (Osternarius) zw sand stephan gepredigt byet vnd geredt, Das trinkchen wein von dem beyligen chrewcz darumb das ein mensch erledigt werd von dem fieber, sey ein geistleiche gleichsnerey, oder ein vbergelabwen vnd das der mensch, der also getrunckchen byet von dem beyligen krewcz nicht sull zw gots tisch gen, er hab dann vor seins peichtiger rat daruber. Da wider ich geredt hab, vnd gepredigt, daz das nicht war sey, vnd hab gesprochen wider In &c. Nempe: Er hat einen küfer geslickt, oder er ist nicht verr von Im. Qui idiotismus Hominem haeresi infectum notasse videtur. Recte Osternarius ille, quod in D. Stephani Ecclesia olim genus sacrorum Curionum inferioris ordinis, fortassis a personarum numero, aut Missa hora octava celebranda sic dictum fuit, ut patet e Statutis hujus Ecclesiae apud Duellium L. II. Miscell. p. 74. Vinum, cui Crux aut aliud sacrum Λεψαρον intinctum fuerat, contra febres certis horis, certo situ, certis vicibus haustum inter superstitiones pro concione amandaverat, recteque *Wolfbar-**

*du* ejus fugillator ad revocationem a Facultate theologica praescriptis verbis adactus fuerat; verum, quod mentem Facultatis non expleffet, tandem ut habet nota interjecta, *compulsus erat per legatos sacri concilij, qui tunc presentes erant, ut reuocaret errorem suum sub hjs verbis, ut sequitur.* Itaque sequitur Formula paullo brevior et mitior. Legati Concilii Basil. fuere *Viennae* a. 1435.

VI. fol. 55. F. *Nicolai* Prioris Carthusiae *Vallis Josaphat O-lomucens.* ad Universitatem *Vienn.* gravis Epistola data feria 3. proxima ante festum *Pentec.* Anno D. 1434. Lamentatur *Utraquistarum* *Ambasiatores* in sacro Concilio *Basil.* vt asserunt, honorifice receptos et humaniter pertractatos fuisse, imo *Ambasiatores* ad eos missos illis indulgisse communionem illam sacrilegam, ad quam nulla, vt notorium est, eos traheret deuocio, quam *inconfessi, de spolijs et homicidys currentes, cruore occisorum* adhuc recenti conspersis manibus frequentabant. Quis autem fructus ex tali concessione euenerit, manifeste cernitur, nam cum dictis *Ambasiatoribus* promississent campum mox deserere, pacem cum catholicis seruare et ab eorum persecutionibus desistere, ecce nondum terram eis egressis *Boemie fideles* in *pilzna* congregatos obsidione vallauerunt, quam usque hodie continuantes in campo perseuerant. Obtestatur igitur *Doctores nostros*, ut omni ope de remedio apud Concilium agant, certe non necius, *Universitatem Vienn.* tunc

a concedendo Calice alienam fuisse, ut ejus docet Historia. Interim *Pilzna* obsidione liberata, et ipsa *Ascensionis Domini* luce magna de *Taboritis* relata fuit victoria, quam *feria supracit.* mirum est nondum scivisse *Nicolaum* nostrum. Virum doctum fuisse comprobant bini etiam *Traëtatus mss.* citati in *notis ad Balbini Bob. doctam* P. II. p. 193. ubi a. 1421. *Stephano* scriptis a *Bern. Pezio* in *Thef. Anecd. et Biblioth. Ascet.* editis noto successisse in Prioratu *Dolanensi* traditur. Successit vero etiam in *Olomucensi*; putem enim annum mortis ejus 1425. in *Nota* praedicta in mendo cubare. *Petreti* Bibliotheca Ord. *Carthus.* Virum ignorat. Nos alio adhuc Codice memoramus.

VII. fol. 63. rursus *Basileensis*. 1) Decretum de Electionibus. *Seff.* XII. 2) Decretum de Conciliis Provincialibus. *Seff.* XV. 3) Decretum de Judaeis *Seff.* XIX. 4) Decretum de Concubinariis. *Seff.* XX. Adhaerent e *Seff.* XXI. De pacificis Possessoribus, et aliud *De causis tractandis*, quod in *Actis* non reperi. 5) *Peticio exhibita 17. decembr. per petrum fride procuratorem Episcopi Patav.* 1433. in singulis deputationibus. Laus *Alberti Ducis Austr.* Verum nonnulli eius zelum cognoscetes *Ipsum ad prosequendum ea ad extraordinarias vias ducunt, cum tamen via ordinaria non deficeret. Sed valde suspicandum videtur, ut informatores hujusmodi sperent visitatores Monasteriorum et clericorum constitui &c.* Si sint

*Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

religiosi, prosequitur, *suas foueant cellulas*, si Professores sacrae *Paginae, discant prius Juris et regiminis ecclesiastici practicam*, *Visitationes canonicas Episcoporum esse, non igitur mittendos alios, quorum multi visitari deberent potius, quam visitare*, injuriosum hoc fore toti Clero *Passaviensi, qui inter ceteros Alemannie clericos honestius vivit &c.* Efficacem in parte fuisse *Fridium* docet supra N. III. 6) *Juramentum Ambassiatorum Domini pape.* Nempe *Eugenii*, a. 1434. ut in *Actis* Edit. *Venet. Labb. T. XVII. col. 606.* 7) *Sessio 18<sup>va</sup> Concilij Basiliensis.* Ut in *Actis.* 8) *Sessio XXX.* 9) *Reliqua Decreta Seff. XXI.* post illud superius N. 4. indicatum.

VIII. fol. 75. Opusculum de Defectibus *Missa*. Incipit: *Defectus missae sunt, quando requisita ad celebrationem missae deficiunt &c.* Editum pluries Sec. XV. *f. l.* et a. 4. Adjacet commentanti *Editio Rom.* paullo plura initio praemittens, addensque sub finem Articulum *De noua specie apparente*, et nomina 4. Theologorum, quorum autoritate nixus est *Compiler*, videlicet *Petri de Tarentasia, Durandi a S. Portiano, Alberti M. et S. Thomae.*

IX. fol. 84. p. 2. denuo *Basileensis*. 1) *Responsio ambassiatorum concilij basiliensis super articulis boemorum facta 23. die Junij.* Anno nempe 1435. Petierant *Hustiae* iterum exactum ad IV. *Articulos* suos *Basileae* 1431. propositos *Responsum.* En illud fortassis *ἀπεκδοτόν* datum a *Legatis*, quo-

L1

rum

rum nomina mox recitabuntur. *Articulo 4.* petentibus, in quo Concilio usu Calicis interdictum fuerit, retorquent inter alia: edicant Bohemi, in quo Concilio re-  
*fectis alijs translacionibus antiquorum translacio Jeronimi fuit approbata.* In Martyrologio Rom. memoratur ea quidem ad VII. Id. Maj. recte tamen dubitant *Bollandistae* T. VII. Sept. p. 656. an unquam a tota Ecclesia fuerit celebrata. 2) *Commissio facta per dominos legatos basilien. concilij certis personis ibidem nominatis secundum tenorem bulle eis a dicto concilio de visitatione in austria et moravia fienda destinate, cuius quidem bulle tenor etiam in hac commissione continetur.* Primo itaque Legati *Philibertus Ep. Constantiensis prouincie Rothomagens. Johannes de Palomar Archidiacon. Barchinonens. Sacri Palat. Causar. Auditor, Martinus Bernerij decan. thuronens. Thilmannus preposit. S. Florini in Confluentia et Egidius Carlerij decan. Chameracens. constituunt visitatores Christannum Abb. de Mellico, Johannem Abb. Scotorum wyenn. Johannem Prior. de Mauerbach, Matthiam Prior. cartus. de Brinna, Nicolaum Prepos. S. Dorothee, Johannem Nydder (Ord. Praed.) Thomam Heselbach, Job. Hymel, Narcissum (Herz de Perching), Urban. de Mellico, Paul. de Wyenna, Doctores Vienn. Nicolaum Prepos. de Sterneberg Ord. S. Aug. Andream de Weytra, Nicolaum Prepos. antiquum de Tyernstain, Wolfgangum decan. Eccl. S. Flo-*

riani, Henricum quondam Prior. Monast. S. Crucis et Wenczesl. de Merowicz pleban. in Gammicz; dein iis communicant Decretum seu Literas Concilii, quas nec in Aetis, nec in Mansii Supplem. reperi, hujus initii: *Quia inter alia sanctitatis opera, propter que hoc sacrum congregatum est Basiliense concilium &c. subscriptas: Basileae tercio kalendas Junij 1435. Demum finiunt: Datum et actum Brünne Olomunczens. dyocess. Sub anno domini 1435. die quinta mensis Augustij In presencia R<sup>di</sup> in christo patris et domini (Pauli de Miglicio?) Olomunczens. Episcopi, presentibus discretis uiris domino Hugone Regis Presbitero, Nicolao windoldi et Heinricho de Castro clericis lingonens. Maguntinens. et leodiens. dyocesum Testibus ad premissa uocatis &c. Adduntur Notarii Johannes de Tewniz clericus parysien. et Petrus ymaginis alias wild (l. Bild) Augusten. dyoc. 3) *Propositio facta per r<sup>imum</sup> in christo patrem dominum Julianum Cardinalem (S. Angeli Caesarianum) apostolice sedis legatum in concilio basilien. ante recessum ab eodem. Quo igitur recessit? Venetias ad suscipiendos et Florentiam tandem deducendos Imperatorem et Patriarcham Graecorum. Ita Horat. Justinianus in Aet. Concil. Flor. T. XVIII. Labb. edit. Venet. ubi et col. 857. Propositionis nostrae mentio, quae incipit: Diu ac sepe R<sup>mi</sup> patres et scriptis et uerbis &c. Inseruit eam Coletus e Ms. editioni suae Labb. Venet. T. XVII. col. 1343. sed injurius in**

in *Julianum* eam *Jordano Ursino* tribuit lapsus in eo, quod hunc *Episcopum Sabinensem* confudit cum *Card. Presbytero S. Sabinae*, qui erat *Julianus*, unde ad hunc etiam ex inscriptione *Exempli nostri* redeat. 4) *Oratio quorundam Legatorum Basileensium*, quae incipit: *In nomine Domini et saluatoris nostri ihesu christi, de cuius sacratissimo eucaristie sacramento tractaturi sumus &c.* et *Calicis* usum quidem concedit, sed reverentiam in sumtione urget, fidemque: sub qualibet specie *Christum* esse integrum et totum. A *Concilio* proficisci, probant verba: *Admonet igitur, exhortatur et precipit Sancta synodus &c.* *Nuspian* in *Actis* reperi. 5) *Conclusiones infra scripte dominorum, communitatum et civitatum inclinatarum ad legem diuinam in congregatione nunc in praga habita ac statim dirigantur imperatori.* Sunt numero *XXVI.* satis imperiosae. *Prima: Civitates circa iura et libertates maneat.* *Secunda: Peccata mortalia publice non fiant, ut ludus taxillorum, coree.* *Alia: Imperator cum officialibus suis communicet sub utraque specie ex eo, ut unus alium non hereticet.* *Alia: Proscriptiones Imperatoris et alienationes bonorum nec non Regis Wenceslai defuncti sunt invalide et tollentur.* *Missas esse has ad Sigismundum Conclusiones anno 1435.* habes ex antiquioribus relatum in *Pelzelii Hist. Boh.* vernac. p. 293. 6) *Decretum Concilii Constant. Sess. XXXIX.* de celebrandis *Conciliis* cum *Provi-*

*fione de Schismate, et Juramento Papae*, ut edit. *Venet. Labb. T. XVI. col. 700.* 7) *Carissimo ac specialissimo amico nostro cardinali sancti angeli*, non jam *Juliano a. 1444.* interemto, sed *Johanni Carvajalio*, qui in hunc titulum successerat, *Karolus (VII.) dei gratia Francorum rex.* *Audito, illum a Nicolao V. in Germaniam legari, tum ut regem romanorum et hungaros dissidentes paci, ut scribit, reconcilietis, tum ut regnum bobemorum in se ipsum diuisum componere valeatis, tum denique ut de rebus ecclesie presertim de generali concilio celebrando cum principibus germanicis pertractetis,* omni modo eum ab ultimo negotio tentando his literis avertere conatur. *Memorat felices successus suos in componendo inter Eugenium et Contendentem (Amadeum) Basileensesque; irritos illos fore, Schismaque continuandum, si modo de generali Concilio ageretur &c.* *Nescio, an lucem jam viderit haec Epistola data bitturis (Biturigibus, Bourges) prima die septembris, haud dubie a. 1447.* 8) *Propositio Domini Auditoris (Joh. de Palomar) quam fecit in Ratispona ad Imperatorem (Sigismundum) presentibus etiam bussitis Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> 34.* *Continet illa disputationem hujus cum Joh. Rokyczana, ut plurimum de duplici Specie, aliisque partim jam Basileae, partim Pragae ultro citroque dictis.* *Sub ingressum Palomarius commentatur in Thema evangelicum ab Rokyczana prius adsum-*

tum: *Vade et tu fac similiter* Luc. 10. Ad finem subditur: *Post hec Sereniff. Dominus Imperator dixit, quod bonum esset quod darentur ab utraque parte in scriptis, quia in verbis erat difficultas propter interpretari ad linguam bohemicam de latina et contra, et tunc citius videretur, in quibus difficultas consistit. Et legatis sacri concilij hoc placuit. Ad hec dilecti Ambasiatores bohemie habita inter se deliberatione fecerunt responsum in bohemico et Dominus Imperator dixit, quod ad minus hoc darent sibi scriptum. Sequenti die fuit data Domino Imperatori scedula huius modi seriei. Sequitur igitur *Propositio Boemorum*, seu *Responsum*, quo negant se scripto agere velle, quod diu hic morari nequeant; missos se ad solum Regem, cui difficultates omnes aliunde notae sint; Concilium agnovisse utilitatem Communionis sub Utraque, negotium Communionis Parvulorum ad aliud Concilium differri posse; se interim pacem servaturos. Ad haec respondet Imperator: Cedere se Legatis, licet modus scripto tractandi opportunus sibi visus fuerit; cupere se omnino tranquillitatem Bohemiae, sperareque, nihil ultra *Concordata* cum *Basileensibus* jam postulatum iri. Ad haec iterum Legati: Nixos se iis, in quae Pragae cum Legatis Concilii conventum esset, relatuos nova responsa *Ratisbonae* accepta ad Regni Congregationem *Pragae* in die S. *Galli* habendam, et finale ejus *Responsum* saltem in die S. *Martini**

apud Consulatam in ciuitate *Egrensi* deposituros. Tangit haec *Aeta Cochlaeus Hist. Hussit. L. VIII. p. 279.* 9) *Articuli editi per Magistros et clerum pragensem ac dominos consules communitatis pragensis, oblatis domino Johanni carvial (Carvajal) cardinali sancti angeli, quando eos visitavit, ut ipsos approbaret, feria 5<sup>a</sup> ante festum viti anno d. 1448. sed non approbavit, sicut nec potuit. Vide illos apud Cochlaeum cit. L. IX. ad an. 1441. p. 335. Sed Codex Art. 3. post verba sub utraque addit quantum ad gratias conditas, et Art. 7. pro M. Przibram rectius legit M. rogenzan, id est, Rokyrczan, additque post non debeat foueri in fine sed videat ne ipsum dampnum sequatur.* 10) *Hec scedula sicut sequitur est per deputatos concilij data et ambasiatoribus ad boemiam tradita. Init: Sacrum concilium tanquam pia mater cupiens reparare filios &c. et instructionem continet, quid ad Articulos a Bohemis propositos de Punitione Peccatorum, de Praedicatione Verbi Dei, et de Cleri Possessionibus e mente Concilii respondere debeant. Pertinent haec ad Legationem Philiberti Ep. Constant. Job. de Palomar &c. annumque 1433. et subscripta sunt a Barth. Rati-frero ipsius Concilij Scriba.* 11) *Compactata Pragae proposita et ultro citroque ventilata paene, ut habetur in Cochlaei Hist. cit. L. VII. et VIII. in plures enim annos excurrit negotium, quae vero mox sequuntur, nullibi reperi: Post uero quia propter aliquorum veniten-*

tentiam tractatus iste firmari non potuit, sed instabant, quatenus per literas concilij mandaretur omnibus de regno, quatenus sacramentum sub utraque specie sumerent, hinc miserunt Martinum presbiterum in crudim et quendam secularem de praga Przsko ad sacrum concilium, qui id peterent, sed responsum est eis, quod stante obsidione pilniensi (igitur a. 1434.) tam graui et prioribus tractatibus nondum firmatis frustra peterent ulteriora, et per bullam sequentem hortabantur ad firmacionem eorundem, et quidquid salua fide et honore ecclesie visum esset pro pace et salute animarum populi regni expedire, hoc annuet sacrum concilium. Jam ergo Bulla, data 5<sup>o</sup> Kal. Marcij Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> 34. et incipiens: Sacrosancta &c. Alsoni de risenburg alias de wiresaw &c. Auditis et intellectis que dilectus &c.

X. fol. 122. Incipit Tractatus vniuersitatis cracouiensis de auctoritate ecclesie et sacrorum conciliorum editus 1442. Ita quidem: Reuerendissimo — Sbigneo (de Oleschizna ✠ 1455.) Ep. cracouiensis. Alme vniuersitatis Study Cracouiensis. Cancellario dignissimo Reſtor doctores et magistri &c. Deliberantibus nobis quid super instante requisicione clarissimorum virorum videlicet Marci Bonifilii Sacre pagine, Stanislai de Gobiniwo prepositi Tridentini et canonici Cracouiensis. in artibus liberalibus magistrorum, Derſlai de Barzmaſ Decretorum doctoris Archidiaconi Cracouiensis. et nobilis Gwilbelmi de ba-

rina Sacrosancte generalis Synodi basilien. in Spiritu sancto legitime congregate vniuersalem ecclesiam representantis, et Sanctissimi Domini felicitis (Amadei Sabaud.) pape quinti Oratorum et nunciorum per organum dicti marci facta responsuri simus, verbum istud propheticum: Errauerunt ab utero, locuti sunt falsa, Ps. 57. in primis nostre considerationi occurrit &c. Conclusionibus VII. egregio adparatu theologico stabiliunt notiones Ecclesiae, propugnantque Concilii generalis auctoritatem supra Pontificem, legitimam depositionem Eugenii, et electionem Felicitis. Mystici corporis Ecclesiae exemplum dicunt esse in flumine wisla, qui wandalus dicitur, qui semper idem in numero hic manet quo ad formam, quamuis partes illius fluuij cottidie variantur sibi inuicem succedentes. Multum utuntur praeiudiciis Synodi Constant. perorantque sua submittendo Sbignei sententiae. Nescio, an unquam lucem hic Tractatus aspexerit jam alias hoc Vol. relatus.

XI. fol. 169. Consilium vniuersitatis studij Erfforden. ad Dominum (Theodoricum ab Erbach) Archiepiscopum Maguntin. pro sacro Basiliens. Concilio transmissum contra olim Eugenium et contra neutralitatem principum electorum ad concilium provinciale in Aschaffenburg nuper in crastino assumptionis virginis gloriose inchoatum. Anno 8<sup>o</sup> c. XL<sup>mo</sup>. Nihil de isthoc Concilio apud Harzbemium, mentio εν παροδα in Scriptt. Rer. Mogunt.

gunt. G. Chr. *Jobannis T. I. P. II. p. 755. Παροσκειναιμον* id fuit pro Conventu *Norimb.* Duo decidunt Doctores *Erfordienfes*: *An in unione protestacionibus et appellationibus jam dictis (Principum germaniae) diucius sit residendum? Atque hoc illis non videtur. Si non, sed alteri parti sit adberendum, cui earum possit, et debeat adbereri?* Atque hinc illis *Basiliense* Concilium placet. *Eugenium* pro rite deposito habent; hinc queruntur, scribere quosdam: *anno felicitis primo*, alios: *anno Eugenij nono*, alios demum: *sede vacante.* *Historia Concilii Basil.* non parum hoc Scripto, quod nusquam mihi occurrit, illustratur.

XII. fol. 177. *Quedam informatio*, ut e calce adsumo, uel *consilium pro Concilio basiliensium.* *M. Narcissi*, adde *Herz de Perching Theologi Vienn.* de quo non femel alias. Ab Archiepiscopo *Salisburgenfi Jobanne* expetitus est sensus *Academiae nostrae* anno, ut videtur, 1440. jam enim Scripto praesente *Albertus Rom. Rex. diue memorie* audit, et en illum nihil abludentem a *Cracoviensium* et *Erfordianorum* sensu: Principibus ab illa unione, neutralitate et adpellatione ad aliud Concilium desistendum, standum *Basileensi.* *Eugenium* ab eo legitime depositum, nihil obstare *Juliani Card. a Basileensibus* ad *Eugenium* digressi exemplum. *Quis nesciat dictum cardinalem sancti angeli non angelum sed purum hominem esse et per consequens et humana pati iuxta hominis condicionem, id quod Jo-*

*nae Prophetae et Pauli Petrum* reprehendentis historia illustrat.

XIII. fol. 186. *Consilium facultatis Theologicae alme uniuersitatis Studij wienensis pro pacificatione ecclesiae in presenti scismate anno 1444.* Init: *Requisiuit uestra regalis celsitudo consilium quid in dieta Nurnbergensi in festo ascensionis domini de proximo instante — sit agendum &c.* Ergo ad *Friedericum III.* Quae suadent, sunt: *Concordia Principum* circa modum pacificandae *Ecclesiae*, *Basileensium* persuasio, ut acceptent Concilii translationem ad alium *Germanis* opportunum locum, si nolint, continuatio *Basileae*, istud enim Concilium nondum esse legitime dissolutum &c. Adjectum est et aliud privatam *Consilium doctoris*, ut praefert *experti*, qui tunc pluribus in concilio et alibi tractauit, in eadem paene recidens, nisi quod majorem rationem *Eugenij* haberi velit. De utroque hoc Consilio mere συνοπτικως proposito nihil in *Consp. Hist. Univ.* ad h. a.

XIV. fol. 194. Praeuius Prologo Incipit tractatus fratris *Job. Keck de tegernsee in theologia Magistri de Sacro basiliensium concilio.* Si in facto depositionis olim *Eugenij* potuit errare. Prologus inscribitur: *Reuerendissimo — Jobanni tituli sancti Martini in montibus Cardinali presbitero de bauaria vulgariter nuncupato Johanni* nempe illi *Grünwaldero Job. Bavariae Ducis Notho*, *Frisingano* primum *Vicario gen. tum Episcopo*, ab *Antipapa* demum *Fe-*

*Felice* creato Cardinali, de quo adeundus *Car. Meichelbeckius* T. II. *Hist. Frising.* P. I. p. 240. Idem agit de *Kekio* nostro *Sueuo Giengensi* cum alias, tum P. II. p. 233. ubi inter alia ejus Scripta, quae enumerat, et in Monasterio *Tegerns.* adseruari dicit, noster imminit, quin tamen exprimat, quid in eo adseratur. Adseritur vero *Capitibus* IV. Concilium *Basil.* legitime et coeptum et continuatum fuisse, sententiam depositionis *Eugenii* ad fidem, schismatis extirpationem et generalem ecclesiae in capite et membris reformationem pertinere, et in tribus his Concilium errare non posse, omnia fat docte, sed paullo mordacius. Sub finem *Stanislaum* quendam *Bobemum* in Tractatu de Corpore Christi ait adseruisse: quod in altaris sacramento cum corpore christi eiusdemque sanguine precioso panis et vini substantia remaneat et non sola accidentia. — Quem suum errorem dudum catholica illa theologorum scola alme vniuersitatis studij *wiennens.* fortissimis rationibus — efficacissime exterminat. An is *Stanislaus de Znomya*? At vere ille Tractatum suum de non remanentia ipsarum substantiarum panis et vini inscripsit, ut non semel a nobis relatum. Nisi dicas, Virum meliora tunc edoctum *παλιωδίαν* cecinisse, quemadmodum et *Husso* amicitiam renuntiasse a libi diximus. Ceterum *Job. Keckius*, non *Kockius* ut T. V. *Concill. Germ.* p. 282. erratum est, Monachus *Tegernseens.* O. S. B. deinceps in Lexica coopandus foret. Atque

hic egregii Codicis Ecclesiastica finiunt. Jam adnexa videamus.

XV. fol. 219. *Hec sunt breuiter et sumatim collecta ex tractatu de preseruacione a pestilentia ex auctoribus sapientum medicine fultita compilata per magistrum cardonem de sponsotis de mediolano phiscum magnifici domini domini galez domini Mediolani &c. M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> 19<sup>no</sup> mens. octobris in nobili ciuitate Mediolani.* Error in anno; Galeatius enim *Vicecomes* non nisi anno 1322. dominatum adeptus est. *Cardo* seu *Tardo* de *Sponsotis* seu *Sponsatis* ignotum Lexicographis nomen. Ordinem *Opufuli* e principio discas: *Primo igitur ponatur regimen sex rerum non naturalium cum annexis, et postea regimen medicinarum.* Atque in his pro aevi more regnant *Aromata*.

XVI. fol. 225. Tractatus medicus *ἀνεργεαφος* de variis morbis, eorumque remediis hoc ingressu: *Animaduertite quod medicine in omnibus morbis diuersificantur et principaliter in paralisi secundum complexionem hominis &c.* Ita omnia velut ad Auditores diriguntur. Fol. 233. p. 2. ubi inter quatuor anni vices et totidem Hominis aetates instituitur comparatio, haec legas: *Heu Albicus perdidit et pertransiuit tam tempus vernale quam estiuale &c.* Item: *Sic ista etas tertia, in qua pauper Albicus existit, iam exiuit &c.* Demum: *Sic ego Albicus in etate senectutis positus — adpropinquo ad yemem.* Habes igitur *Albicum Moravum Uniczovium*  
Wen-

*Wenceslai* Imp. primo Medicum dein a. 1411. Archiepiscopum *Pragensem*, qui, si *Bibliothecae Gesner.* fides, scripsit *Prædicam medendi* et *Regimen pestilentiae*, item *Regimen sanitatis*, seu *hominis*, quod *Lipsiae* 1484. 4. excusum est, ubi et *Vetularii* nomen gerit, quae compellatio confirmatur e *Cod. Caesareo* inter *Medicos* N°. CXXIV. suo tempore et ordine recensendo. At vero tam in hoc *Codice*, quam in praesente nostro *to Hec ex Albico.* Item *Albicus* &c. ostendit, Excerpta et Interpolata *Albici* potius in his *Codd.* haberi, quam integra *Opuscula*, cumque *Lipsiensis* Editio ad manum mihi non sit, dispicere non possum, ad quale illorum pertineant ea, quae hic indicavi. Auctoris *Vitam* concinnarunt Editores *Effigierum Doctor. et Artiff. Bob. et Morav.* lingua germ. *Praegae* T. II. a. 1775. p. 82. 8.

XVII. a fol. 261. ad finem operosi Voluminis varia Morborum Remedia occurrunt, in quibus, ut in praecedentibus *Albici*, multa Vocabula *Germanica* veteris Linguae Curiosis praesto sunt; ad compingendum vero adhibitum est eleganter exaratum Segmentum quoddam Libri precatorii *Hebraeorum.*

## DCCCCXL.

R. 14 Codex chartaceus lat. ital. Sec. XVI. Folior. nunc 320. 4. maj. olim Conventus FF. *Augustianorum S. Joh. de Carbonaria Neapoli*,<sup>7</sup> cujus filius, ut vocant, fuit

vir celeberrimus *Hieronymus Seripandus Neapolit.* per omnes Ordinis sui Praefecturas ad *Salernitanas* Infulas, Purpuramque *Romanam* evehctus, magnaue in *Tridentino* Concilio auctoritatis, in quo Pontificis Legatus a. 1563. diem clausit, complectitur *Partem I. Adversariorum* hujus Theologi de dicto Concilio, cujus contenta hic edisseram: *Fol. 1.* initio mutila *Summa Sententiæ de iustificatione dicta in Congregatione Generali Die XIII. Julij. MDXLVI.*

*Fol. 4.* *Sententia dicta in Congregatione Generali die XXIII. Julij. MDXLVI.* De eodem Argumento.

*Fol. 9. p. 2.* *Sententia dicta in Congregatione Generali die VIII. Octobris. MDXLVI.* Pariter de Justificatione.

*Fol. 12. p. 2.* *Sententia dicta in Congregatione Theologorum de corpore Concilij Die XIII. Decembris MDXLVI.*

*Fol. 13. p. 2.* *Sententia que dicenda erat die X. Decembris non dicta usque ad diem XVIII. in Congregatione Theologorum de corpore Concilij.*

*Fol. 14. p. 2.* *Sententia dicta in Congregatione Theologorum de Corpore die XXVIII. Decembris MDXLVI.*

*Fol. 15. p. 2.* *Sententia de Justificatione dicta ab Episcopo Oj-censi.* Erat is *Petrus Augustinus* magni *Ant. Augustini* frater. Atque hactenus de Justificatione. Deinceps

Fol.